



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118340

§. 66. Friderici III. Imperatoris obitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

ad purpuram evehere meditaretur, beneficia in Galliis, ceteris vero duobus ejusdem filiis ditiones in eodem regno donare velit. Attamen Pontifex hæc oblata vago responso elusit, declarans, se, quamvis quodammodo huic bello ansam dedisset, neutri parti adhæsurum; sperabat autem ampliora a Ferdinando, quam Gallus obtulisset, accepturum. Id ipsum etiam Neapolitano Regi permolestum acciderat, quod insuperhabita promissorum amplitudine necdum de Pontificis auxilio securus esse posset.

Sæcul. XV.
A.C. 1493.

§. LXVI.

Friderici III. Imperatoris obitus.

Hoc anno supra millesimum quadringentesimo nonagesimo tertio die septima Septembris Fridericus III. Imperator Lincii in Austria vivis ereptus est, postquam septuaginta octo annos vixisset, & quinquaginta tres, quatuorque menses regnasset; eidem, cum altero crure noxium carcinoma enasceretur, ne latius serperet, crus abscissum fuit, ast dolori succumbens paulopost exspiravit; cujus corpus Viennam in Austria translatum in sepulchro Cæsarum repositum est.

*Naucler
chron. vol. 3.
gen. 50. p.
506.
Nüchov. l. 4.
c. 57.
Bonfin. dec.
3.*

Hic Princeps vix imperii habenas moderari cæperat, cum factiones in suis regnis

M m 2

regnis

Sæcul. XV. regnis fuscitatas dissipare omnibus viribus adlaboraret, ea tamen usus moderatione, ut quamvis vim armis repellere cogeretur, duntaxat eos, qui ceteris magis seditiosi erant; castigaret, adeo enim pacis studiosus, tamque sollicita dissimulatione obtegebat offensiones, quas ei nonnunquam Pontifices intulerant, ut Itali illum mortuam animam in corpore vivo circumferre conviciarentur. Nationis Germanicæ concordata communium Legatis Apostolicis consensu erexit, Bullamque auream confirmavit, utque litium frequentiam tolleret, quam in administranda justitia jus Romanum invexerat, codicem *de Feudis* in lucem emisit. Ceterum, quamvis ipse pacis amantissimus esset, nullo tamen unquam tempore Germania intestinis, ac exteris bellis crudelius dilacerata fuit, quam sub ejus imperio. Id ei vitio vertunt Historici, quod nimium avarus esset, nosque haud obscura tenacitatis suæ specimina, ubi de illo sermo occurrebat, non dissimulavimus. Verbo, Princeps erat politica regendi prudentia omnibus numeris absolutissimus, sed nequaquam bellicosus, ingenio quidem potens, sed manu infirmus. Haud dubie Hungariæ ac Bohemiæ regna Austriacæ stirpi inserta mansissent, si Fridericus heroica consilia pari facilitate exequi, qua concipere valuisset.

Uxo-

(*) Uxorem habuit Eleonoram Eduar-^{Sæcul. XV.}
 di Lusitanizæ Regis filiam, ex qua tres A.C. 1493.
 filios, filiasque binas susceperat. Ho-
 rum primus Christophorus nomine adhuc
 infans vivis ereptus est.

§. LXVII.

Maximilianus Imperii Successor.

Secundo genitus Cæsaris Filius erat Ma-
 ximilianus, qui Patri suo in imperio
 successerat. Is tertium quoque habebat
 fratrem, nomine Joannem, qui in tene-
 ra ætate decessit. Inter Filias prima erat
 Helena, quæ itidem adhuc infans fati-
 functa est, altera nomine Cunegundis
 Alberto sapienti Bavarizæ Duci nupsit,
 quo mortuo sacræ familiæ institutum pro-
 fessa est. Friderico decedente Maxi-
 milianus trigessimum quintum ætatis annum
 agebat, jam aliquot abhinc annis Roma-
 norum Rex creatus. Hic, cum nun-
 cium accepisset de ingenti clade, quam
 Christianis ex Bernardini de Francipanis
 culpa Turcæ intulerant, ad vindican-
 dam Religionis jacturam cum exercitu
 suo confestim neglecta propriæ necessita-
 tis,

M m 3

(*) Ad confutandas hasce calumnias glo-
 riosissimo Imperatori iniquissime impactas suffi-
 cit vel obiter omnium pene Historicorum an-
 nales evolvere. Vid. Hist. Germ. Burch. Struvii.